



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXLVII. Das Domcapitel vereignet einige Einkünfte der Kirche in Damme, am 12. Juni 1305.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

CXLVI. Bischof Friedrich von Brandenburg unirt die Kirche zu Luckum der Kirche des Jungfrauen-Klosters in Zerbst, am 20. Mai 1305.

— (Fridericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie Episcopus) — Auctoritate, qua fungimur, ordinaria, qua possumus unire et separare ecclesias parochiales, Ecclesiam Sancte Marie virginis in Ankona, cujus jus patronatus spectare dinoscitur ad Monasterium S. Marie virginis Sanctimonialium in Czerwist Ecclesie ipsius Monasterii adjungimus et unimus ita quod Ecclesia sita in Monasterio mater sit et Ecclesia in Ankona sit filia et pro filia ipsius monasterii Ecclesie in perpetuum habeatur. Datum Anno M. CCC. V., feria quinta post cantate.

Nach Seckmann's Anhalt, Hist. III, 306.

CXLVII. Das Domcapitel vereignet einige Einkünfte der Kirche in Damme, am 12. Juni 1305.

— veniens ad nos, Johannem, dei gratia prepositum, Walterum, priorem, et Hinricum cellerarium, dictum de Gardelegen, totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis Conradus, dictus Churinus, cupiens seminare in hac vita benedictionibus, quod posset metere in vita benedictiones perpetua, sui purgatorii et suorum peccatorum salubriter restaurationem. Nos itaque Johannes, dei gratia prepositus, Walterus, prior, Hinricus, cellerarius, totumque capitulum ecclesie Brandenburgensis, intuentes hujus Conradi bone mentis affectum, qui secundum philosophos et alios sapientes semper est propagandus et in nulla sui parte minuendus. Hinc est, quod vendidimus pro viginti marcis argenti Brandenburgensis concorditer predicto Conrado III frustum duri frumenti, videlicet XXVII modios siliginis et XXVII modios ordei et sex solidos Brandenburgensis denariorum, singulis annis danda in festo sancti Martini de curia jam dicti Conradi, sita in villa quadam Damme, plebano ecclesie ville Damme et cuilibet suorum successorum percipienda in perpetuum, ut singulis secundis feriis et singulis sextis feriis omnium hebdomadarum singulorum ac omnium annorum a plebano predictae ecclesie in Damme et suis successoribus, aliis jam dicte ecclesie plebanis in ecclesia ville Damme pro animabus patris et matris sepedicti Conradi et pro animabus sui et uxoris sue Catharine nomine et omnium amicorum suorum perpetuo dicantur due misse. Nunc autem generatio adveniens et generatio transiens cum tempore more fluentis aque, qua generatione et tempore omnia, que sunt in mundo, variantur et mutantur, volumus nihilominus istud factum tam presentium quam futurorum nostrorum successorum in posterum ab industria perpetuo inviolabiliter observari. In cujus rei majorem evidentiam etc. presentibus Brunone, dicto de Ghore, et Johanne, prefecto antique civitatis Brandenburgensis. Actum presentibus et aliis quam pluribus testibus fide dignis. Datum Brandenburg, anno domini M. CCC. V. pridie id. Junii.

Nach der Copie im alten Copialbuche.